



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 2. Utrum Angelus possit noscere seipsum ut
possibilem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

voluntate, fieri non potest; ipsa autem voluntas, non esset, sine nova cogitatione.

RESPONDETUR. Quòd possit Angelus avertere mentem transeundo scilicet ad aliam cogitationem, ad quam ut transeat, potest quidem determinari à Deo: sed potest etiam determinari à dicto ab excitatione speciei cōnexa: & licet Angelus, dum dicit: Nolo de me cogitare, debeat tunc de se cogitare, non sequitur quòd debeat de se vel de objecto, de quo immediatè cogitavit, cogitare etiam sequenti tempore, applicando scilicet mentem, ad aliud objectum, ex ejus concurrentia, &c.

OBJICIT 2. Angelus ut semper duret in perpetua sui notitia, habet omnia requisita: Nam & est sibi præsens, proportionatus, non fingatur, & cetera similia.

RESPONDETUR. Quòd si Angelus velit possit durare semper in sui notitia. Sed nego quòd debeat durare, & quòd congruat ut duret. Cum autem de se non cogitat, debet habere defectum in circumstantia applicantis voluntatis, & sicut quamvis oculus sit potentia necessaria, nihilominus potest à voluntate applicari ad hoc potius quàm illud videndum, ita idem poterit facere Angelus, suo intellectui.

OBJICITUR 3. Ex iis, quæ sibi opponit Esquiza q. 16. n. 3. Quælibet substantia intellectualis exhaurit totam vim suam cogitativam, cogitatione comprehensiva sui: Quia etiam Deus, nullam habet cognitionem distinctam à comprehensione sui; & tamen est impossibile ut aliqua substantia, habeat majorem proportionalem sufficientiam, quàm Deus; Ergo non opererunt creaturæ vires ad aliquam aliam cognitionem, simul eliciendam.

RESPONDETUR. Hoc Argumentum non tantum probare quòd semper se noscat Angelus, sed quòd etiam nihil aliud à se distinctum noscere possit. Cæterum non convincit, nam licet cognitione comprehensiva sui exhauriatur tota vis cognitionis angelicæ; quia scilicet naturaliter quoad modum perfectionis, non potest elicere perfectiorem cognitionem, quàm eliciendo illam comprehensionem sui; nihilominus non exhauritur vis intellectus, quòd minus possit non ita in modo perfectionis perfectas, elicere notitias. De Deo dispar est ratio; quia comprehensiva illius, quam habet de se notitia, identificat sibi omnes alias notitias, suoque complexu tenet: Mirum ergo non est, si sola comprehensio exhauriat vim totam noscitivam in Deo. Quia verò comprehensio creata non identificat sibi alias notitias, fit ut compatiatur secum alias.

S. Thomas, qui in oppositum citari solet ex L. contra Gent. c. 97. non plus vult, quàm quòd Angelus, non possit desistere ab omni omnimò cogitandi actu. In aliis locis, ut hic q. 57. art. 1. ad 3. non plus vult, quàm quòd nullo in-

digeat intrinseco, & per modum speciei principio, ut compleatur, sui notitiam eliciturus.

Punctum Difficultatis 2.

Utrum Angelus possit noscere seipsum ut possibilem?

Quæstio hæc procedit maximè de possibili: quia facile est inferre, quòd Angelus exeat in talem actum saltem ex occasione, dum noscit à nobis, talia de se, inquiri.

DICENDUM est. *Possit Angelum noscere seipsum ut possibilem.* Utor potius hac phrasi, quàm: An Angelus possit se noscere abstractivè, quia potest se noscere ut possibilem non tamen abstractivè. Est conclusio Scoti in 2. dist. 3. q. 10. Bassolis. Gabrielis, Arriaga d. 5. n. 16. Contra Suarez L. 2. c. 4. à num. 16. Valq. d. 204. n. 3. & non paucos Thomistas.

PROBATUR 1. Quia id non implicat ut Angelus attingat se præcisivè, considerando suam essentiam, & non considerando existentiam; Ergo potest se cognoscere ut possibilem; nam concipere essentiam sine existentia, est considerare rem ut possibilem.

PROBATUR 2. Quia id vel repugnaret ex parte objecti tantum, vel ex parte principii tantum, vel ex parte utriusque; ex quo enim alio capite? Ex neutro autem repugnat; quòd probatur. Et quidem quòd non repugnat ex parte objecti. Ratio; Tum quia status existentie patitur prædicatum possibilitatis, bonaque est illatio, (quam virtualem solum ponamus licet in Angelis) Existit, ergo est possibile. Immo si Angelus se non nosceret etiam ut possibilem, non nosceret necessariam, & indispensabilem sequelam, ductam ab existentia ad possibilitatem? Tum quia objectum quòd Deus noscit scientiæ visionis, nonne etiam saltem materialiter spectatum attingit scientiæ intelligentiæ? Tum quia objectum quòd est existens Angelus, habet plures formalitates, ex alia parte Angelus habet vim cognoscendi objectum quòd est alio modo, quàm sit; cur ergo non poterit cognoscere inadæquate & sine existentia. Non etiam id repugnat ex parte principii, quia multa objecta Angelus noscit ut possibile, nec apparet quomodo in his prædicatis substantia completa intellectualis, includatur prædicatum, non noscendi possibile. Nec repugnat quòd ista notitia dicatur non esse omnino perfecta; hoc enim negari potest: Nam scientia intelligentiæ est perfecta, & tamen noscit possibile. Sed concedendo quòd non sit perfecta, non sequitur illam excludi debere ab Angelo: sicut nec in homine excluditur simplex apprehensio, quamvis possit habere discursum. Immo in noscente finito, bonum est, varietas modorum noscendi; cum unus modus noscendi non includat perfectionem

nem alius modi noscendi. Non etiam repugnat ex parte utriusque, quia non potest ostendi, hæc repugnantia.

CONFIRMATUR. Anima separata per Suarez agnoscit se etiam sub formalitate possibilis; Ergo & Angelus poterit idem.

RESPONDET Suar. Disparitatem esse, quia anima habet species acquisitas, & his utitur ut se noscat ut possibilem; & insuper respectu sui, ipsa substantia est illi species. Angelus autem habet species inditas, quibus unamquamque rem secundum proprium conceptum noscat; ipsa vero illius substantia, sicut nec substantia animæ separata, potest esse principium ut existens, noscatur sub formalitate possibilis.

CONTRA. Tum quia in anima non sunt illæ species otiosæ, statque notitia animæ possibilis, cum notitia ejusdem prout existentis; Ergo idem dici poterit de Angelo. Tum quia vel habet Angelus speciem noscendi possibilis quæ possibile est, vel non habet? Si non habet, cur non? Si habet, cur illa non poterit uti ad se noscendum ut possibilem. Tum quia etiam se ut possibilem, non quidem notitiâ visionis, posset tamen noscere notitiâ intuitivâ; ut dictum in prima Parte.

PROBATUR 3. Argumento Scoti; Angelus superior potest habere de inferiori, quem novit existentem, cognitionem quæ attingat illum ut possibilem, seu ut alii loquuntur, abstractivam, concedentibus id etiam adversariis; Ergo & Angelus inferior, de se poterit habere notitiam similem. Conf. prob. quia non est major ratio, cur scientia visionis inferioris Angeli, compatiatur in superiori notitiam possibilitatis, & non compatiatur in eodem de eodem?

Neque valet si dicas, disparitatem esse, eò quod Angelus superior cognoscat inferiorem per speciem; seipsum autem sine specie. Non inquam valet, tum quia potest essentia non se adequatè representare. Tum quia non implicat ut seipsum noscat, etiam per species distinctas. Tum quia bene videt Angelus, saltem per manifestationem secreti, notitiam sui prout possibilis, quam vel penetrat, vel non penetrat; si penetrat, ergo format sibi speciem expressam de sua possibilitate; Si autem non penetrat, cur non?

OBJECIT 1. Vsq. Cognitio abstractiva, vel est notitia per alias species, vel est abstractiva rei non existentis, cognitæ tamen per propriam speciem, qualis est cognitio rosæ in hyeme: Neutro modo potest Angelus intelligere, se notitiâ abstractivâ; non priori modo, quia Angelus habet quidditativum & proprium sui conceptum, altis non posset quidquam aliud propriè intelligere. Non posteriori modo, nam cum seipsum intelligit, non tantum intelligit secundum essentiam, sed etiam secundum existentiam.

RESPONDETUR. Neutrum convinci: Non primum, quia licet adequatè se noscens habeat proprium sui conceptum, sed cur non poterit se, etiam inadæquate noscere? Nec inde sequitur quod semper alia non nisi abstractivè sit nosciturus, cum etiam seipsum, noscat intuitivè. Et sicut ex eo, quia nos cognoscimus abstractivè, non sequitur quod abstractivè noscamus nostram notitiam experimentalem; sic nec ex eo, quod abstractivè etiam possit se noscere Angelus, sequetur, quod nihil aliud possit noscere intuitivè. Secundum etiam membrum non convincit; potest enim concedi, quod notitia illa possibilitatis, sit futura, per proprias species. Et quamvis concedamus Angelum se noscere, etiam secundum existentiam, hoc solum negamus, quod semper se ita noscere debeat.

OBJECIT 2. Suarez. Si Angelus alium cognoscat singularem & actu existentem quidditativè, non erit jam in illius arbitrio, unum ab alio præscindere, noscendo possibilitatem, & non existentiam; quia eo ipso, quod rem singularem in particulari contempletur, cognoscit illam prout in se est; hinc existentem cognoscat ut existentem; præcipuè cum in re, actu existente, non distinguatur existentia, ab essentia singulari.

RESPONDETUR. Hoc quod est contemplari rem singularem existentem, dupliciter potest contingere. 1. Contemplando eam existentem prout existentem, & ita ut modus cognitionis, sequatur modum existentie objecti; & sic non potest nosci existens, sine existentia, potestque hæc notitia appellari existentis quæ existentis formaliter. 2. Potest intellectus contemplari existens, non secundum modum existentie ipsius objecti, & tunc potest attingere, ipsam illius possibilitatem, quæ talem, quæ cognitio appellari potest, existentis, materialiter accepti; quia entitatis est notitia, quæ de facto existit. Quamvis autem existentia in re non distinguatur ab essentia actuali, non sequetur hæc præscindi non posse (ut suppono ex materia de præcisionibus) verè enim adhuc tunc existentia, erit accidens Metaphysicum.

OBJECIT 3. Idem. Angelus per eandem speciem intuitivè cognoscit rem singularem existentem quando existit, & non existere, quando non existit; Ergo etiam necesse est dicere, quod Angelus omnino cognoscat intuitive existentiam, quando existentia supponitur.

RESPONDETUR. Transeat Ant. quod potius est pro nobis: Si enim eadem species, rem existentem & non existentem representat: Cur cum existit, non poterit etiam representare, non prout existentem. Sed interim distinguitur Conseq. Ergo necessariò debet cognoscere existentem Angelum, dum supponitur existere, si noscatur adequatè, & quæ existens formaliter Cone. si noscatur inadæquatè & quæ existens

stans materialiter N. Conf. Et licet quidem, si sit species quæ nata sit non nisi quidditative representare, non possit concurrere ad notitiam, sub formalitate præcise possibilitatis, poterit tamen concurrere, si indifferenter se, tantum quædam universalis species habeat; præcipue cum in tali specie universali, nulla sit impleantia. Quamquam ut seipsum prout possibilem noscat Angelus, poterit non indigere specie, sicut nec indiget ad notitiam intuitivam. Sed saltem possibilis est talis species, adeoque de notitia conformis. Cæterum species universalis quam habet ad noscendum hunc terminum possibilitas, poterit juvare, ut etiam seipsum, quæ possibilem noscat.

OBJECIT 4. Suar. Illas notitias non posset habere Angelus simul, essent enim superflue: non etiam successivè; quia deberet ab intuitiva cessare.

RESPONDETUR. Potest illas habere simul; stare enim secum possint: sicut stat actus scientiæ & fidei de eodem objecto; nec erunt superflue, quia diversas formalitates objecti, diversoque modo attingent. Possent etiam sibi succedere, quia ut dictum, potest Angelus simpliciter cessare, à sui cognitione.

OBJECIT 5. quidam. Quoties cognoscit se aliquid per suam substantiam, toties noscit seipsum intuitivè; semper autem Angelus noscit se per suam substantiam.

RESPONDETUR. Quotiescunque se aliquid noscit per suam substantiam adæquatè, toties se noscit intuitivè; secus si noscat se, ut potest, per suam substantiam inadæquatè. Immo etiam non implicat, ut noscat se, non per suam substantiam, sed per speciem.

Neque inde sequitur quod per suam substantiam possit cognoscere substantiam alius Angelis, ut possibilem; quia quamvis v.g. substantia unius Angelis, non sit magis unius individui, quam alterius, supposito quod sit multiplicabilis, cum tamen hæc terminet notitiam, non illa alterius, sit ut substantiam alius Angelis, non cognoscat, per substantiam suam; nisi fortè attingendo suam naturam ut possibilem, formet postea conceptum universalem, possibilitatis ut sic.

ADDO, quod cognitio suiipsius adæquata, quæ suiipsius non præscindat ab existentia, secus inadæquata.

Supposito quoque quod individuatio & existentia differant definitionibus, præscindi inter se poterunt, poteritque noscere suam substantiam individuum Angelus, non tamen existentem.

DIFFICULTAS III.

De Notitia Secretorum.

NON est difficultas in hoc, quod Angelus notitia conjecturali & obscura, possit no-

scere secreta; quia hoc possunt etiam boni Physiognomici; sed est difficultas, de notitia certa & intuitiva. Et quidem certum est, quod non noscat secreta cordis divini, quia hæc sunt ipsemet Deus ut est in se; ad quem ut est in se, nulla naturalis notitia pertingit: Nec item est tantum dubium, quod de facto Angelus non noscat secreta cordis, quidquid in oppositum dixit Herveus & Durandus apud Vasq. 219. Suar. l. 2. c. 22. n. 5. qui etiam cap. 21. n. 3. putat, hoc esse de fide. Nihilominus Martinon dicit d. 39. id non esse de fide; licet communem sententiam probet tanquam tutiorem.

Quod de facto Angeli non videant secreta cordis, probat auctoritas Scripturæ, 3. Reg. 8. v. 39. dicitur: *Tu solus nosti cor omnium filiorum hominum.* Similia habentur 2. Par. 6. *Tu solus nosti corda hominum.* Si autem dicas soli Deo competere, omnia noscere secreta, licet aliqua nōrint Angeli non accipies locutionem Script. secundum sensum PP. secundum moralem acceptiōnem. Præcipue cum id serviat ad exaltationem divinam, & nullum sit in hoc absurdum; quale esset, si quis ex hac voce: *Tu Deus solus potes producere omnia, si inquam, ex hac voce deduceret aliquis, nullam esse causam productivam præter Deum, Jer. etiam 13. v. 1. Præsum, inquit, est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscit illud? Ego Dominus.* Ubi Deus sibi soli notitiam secreti cordis attribuit. Unde, dicit Hieron. *discimus, quod nullus cogitationum secreta cognoscit, nisi solus Deus.* Ubi non ad solam volubilitatem cordis, sed ad secreta attendit Hieron. Chrysost. etiam Hom. 13. in Joan. *Humanorum cordium cognitio solius Dei est, qui ea formavit.* Athanasius ad Antiochum q. 27. si ipse est hujus libri auctor, *Præscius, ait, rerum & cordium cognitor solus est Deus.* Similia habet Basil. L. 3. contra Eunom. & Cyrillus L. 2. in Joan. c. 19. Ex Latinis Aug. in Pl. 7. *Opera nostra possunt esse nota hominibus, sed quo animo fiant, solus ille novit, qui scrutatur corda Deus.* Citat quidem in oppositum auctoritates Martinon, ut venerabilis Bedæ, qui dicit: *Non enim quidquam affectuum suorum ad invicem latere spiritus potest.* Cui addit Gregor. Magnum. Zenon. Veronensem, Basil. & Aug. L. 2. de Gen. contra Manich. c. 21. *Neque enim, inquit, in illis corporibus celestibus, sic latere posse cogitationes credendum est, quæmodum in his corporibus latent.* Sed illis locis non plus voluerunt Patres, quam quod habeant vim manifestandi sibi sua secreta Angeli, tali manifestatione, ut illa in illismet ipsis videre possint, quomodo à nobis videri non possunt, obfistente mole corporis.

In præsentī in hoc est punctus difficultatis, quænam sit ratio, ob quam non attingunt Angeli, secreta cordium? Plures rationes adfert Vasq. tota disp. 209. Suarez L. 2. à cap. 22. Ariaga, d. 9. S. 6. Martinon. D. 39. S. 6. Joan. à S. Tho-